









Gen. 5. num. 33.

EXERCITATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
N E X V  
REGNI BVRGVNDICI  
CVM

IMP. ROMANO-GERMANICO

QVAM  
CONSENSV  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBIICIENT

D. XXV. IVLII MDCC XX.

H. L. Q. C.

P R A E S E S

D. IO. IACOBVS MASCOV

ET RESPONDENS

CASPAR VOLCKMAR  
HAMBVRGENSIS.

LIPSIÆ  
LITTERIS IMMANVELIS TITII.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

EXERCITATIO IURIS PVBLCI  
DE  
N E X V  
REGNI BVRGANDICI

CVM  
IMP. ROMANO-GERMANICO

QVA M  
C O N S E N S V  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LITSENSI  
PVBLCAE ERVDITORVM DISPOSITIONI  
S V B I I C I E N T I

D. XXV. IULII MDCXX.

P R A E S E S

D. IO. IACOBVS MASCOV

ET RESPONDENS

CASPAR VOLCKMAR

HAMBVRGENSIS

L I T T E R I S I M M A N V A L I S T I T I L I  
1754



\* \* \*

## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

SECT. I. De regni Prouinciae et Burgundiae orru, statu, finibus, et ad Germaniam accessione.

- §. I. Instituti ratio.
- §. II. Praemittuntur quaedam ex diuisione regni Carolingici ad discutiendas super hoc regno controuersias necessariae.
- §. III. Regnum Prouinciae a Bosone conditum: Eius fines.
- IV. Fata noui regis. V. Ludouicus Bosonis filius rex eligitur. VI. Cum illo desit Prouinciae regnum.
- §. VII. Regni Iurani origo et fines. IIX. Vt unitum fuerit Iuranum et Prouinciae regnum. Alphonso Delbene auctoritas in dubium vocatur. IX. Conradi regnum: an inter filios iterum diuisum? X. Regnum Burgundiae et Prouinciae unitur Germaniae. XI. Puteani sententia, qui ab Ottone Campano reges Galliae ius in regnum Burgundiae habere contendit, expenditur.
- §. XII. Quis regni status sub propriis regibus fuerit?
- XIII. An regnum sui iuris? Gallorum praetensiones diluuntur. XIV. An regibus Germaniae subiectum fuerit? XV. Fines regni aduersus Galliam. Rhodanus quatenus limes fuerit? An Lugdunum eo pertinerit? XVI. Quae pars Heluetiae? an Alsatia?
- XVII. Ducatus Burgundiae non fuit pars huius regni.
- XVIII. Respondetur praecipuis argumentis dissentientium.

SECT. II. De regno Burgundiae Germaniae unito a temporibus Conradi II. usque ad regnum Friderici III.

- §. I. Burgundiae regnum inuexum Germaniae mansit usque

✻   ✻   ✻

que ad tempora Rudolphi Habsburgici. Conringius  
suppletur. II. Sub Rudolpho, et Adolpho Nassouio.  
III. Sub Henrico VII. et Ludouico Bauaro. IV. Sub Ca-  
rolo IV. V. Sub Venceslao, Ruperto et Sigismundo.  
Deinde soluta sensim regni compages.

- §. VI. Regnum Burgundiae sub Germanis mansit sui iuris.  
Aula Burgundica. Comites palatii. Archifeneschallus.  
VII. De Archi-cancellario regni Burgundici. VIII. Bur-  
gundiae cum Germania qualis nexus hoc tempore fuerit?  
Comitia Burgundorum, leges et consuetudines. IX. Quae  
regalia: itemque seruitia Vasallorum? X. Allodia in  
regno Burgundico, et liberae ciuitates regiae.  
§. XI. De Ecclesia Burgundica, primatu ecclesiae Viennen-  
sis, et aduocatia ecclesiarum.

SECT. III. De soluta regni Burgundiae compage, partibus  
eius in ciuitatem Germanicam receptis, et de Imperii in  
exemptas prouincias iure.

- §. I. Solutum regni Burgundici Systema.  
§. II. Prouinciae, quas Galli hodie tenent. Quo iure eas  
possideant? III. Gallorum assertiones imperatores regni  
Arelatensis iure regibus suis cessisse. IV. Refelluntur. V.  
An praescriptionem aduersus imperium allegare possint?  
§. VI. Comitatus Auenionensis et Venascinus pontifici parent.  
§. VII. Reliquae prouinciae in ciuitatem Germanicam fue-  
runt receptae.  
§. VIII. Quanam adhuc hodie in ea persistant?  
§. IX. Exempti pars Heluetorum, foederatorumque.  
§. X. Circuli Burgundici cum imperio nexus. Comitatus  
Burgundiae, ciuitatis et ecclesiae Vesontinae fata.

s A

SECTIO

\* \* \* \* \*

5

S E C T I O I.

DE REGNI BURGUNDICI ORTV,  
STATV, FINIBVS, ET AD GERMA-  
NIAM ACCESSIONE.

§. I.



N Iure publico Germanie, vbi *Instituti-  
tio.*  
de finibus regni, eiusque iuri-  
bus in provincias potestati il-  
lius subtractas agitur, frequens  
occurrit regni Arelatensis s.  
Burgundici noui mentio. Cu-  
ius res, quanquam plures viri  
eruditi attigerint, tantum ta-  
men obscuritatis superest, vt operae pretium factu-  
ros nos crediderimus, si praecipua momenta, quae  
ad priscum eius statum, et cum Germania nexum,  
praesentemque provinciarum conditionem, decla-  
randam faciunt, ex ipsis actis publicis, et indubitatis  
historiae monumentis ordine explicemus.

§. II.

Quae terrarum, quas regnum hoc complecteba- *Praemittun-  
tur quaedam*  
tur, sub Romanis et vetere Burgundionum regno *ex diuisione*  
conditio fuerit, nostra nunc indagari non interest. *regni Caro-  
lingici, ad*  
De diuisione potius imperii Carolingici delibanda *discutiendas*  
nonnulla sunt, ad quae in Germanorum, Gallorum *super hoc re-  
gno contro-  
uersias ne-  
cessaria.*  
que, de iure in provincias regni Burgundici, dispu-  
tationibus prouocari solet. Iam constat Ludouici  
Pii filios ita inter se regnum partitos, vt Lothario

6 DE REGNI BVRGVNDICI ORTV, STATV,

praeter Italiam obtingeret, quicquid terrarum inter Rhenum et Scaldin, Mosam, Saonam, Rhodanumque, ad mare vsque mediterraneum situm est. <sup>1)</sup> Is cum filiis an. 855. regnum diuideret, Ludouicus Augustus Italiam, Lotharius terras inter Neustriam et Germaniam medias, quibus Lotharingiae nomen ab illo mansit, reliqua vbi Prouincia, Delphinatus et Burgundia superior hodie sunt, Carolus titulo regis Prouinciae accepit. Post Caroli huius mortem fratres regnum diuiserunt, sed non satis perspectas diuisionis rationes habemus, nisi quod constat, Prouinciam in sorte Ludouici fuisse; Lugdunum, Vefontionem, Viennam, Lothario cessisse. <sup>2)</sup> Lotharii deinde regnum, eo defuncto patru Ludouicus et Carolus an. 870. diuiserunt. <sup>3)</sup> Ex vrbibus, quae in regno Burgundiae postea fuerunt, agnoscimus hic Basileam, et Solodurum, quae Ludouico Germaniae regi; Lugdunum, Viennam, Vefontionem, Viuaris et Vcetiam, quae Carolo Caluo obtigerunt: Quod diuisionis pactum inter Ludouicum Balbum Neustriae regem, et Ludouicum Ludouici Germanici filium an. 879. renouatum est. <sup>4)</sup> Sed Prouincia mansit in potestate Ludouici II. Imperatoris, quo defuncto, eam Carolus Caluus vna cum imperio occupauit.

1) ANNALES BERTIN. ad an. 843.

2) Nam has vrbes ex diuisione regni Lotharii Carolum Caluum accepisse, mox notabimus.

3) Vide tabulas diuisionis factae in Procaspide super Mosam, apud DV CHESNE, Scriptor. Rer. Francic. T. II. p. 453.

4) Vid. acta huius Conuentionis in loco, qui Euronis vocabatur, factae, ap. DV CHESNE l. c. p. 478.

## §. III.

Iam vt propius ad Arelatenſe et Burgundiae regnum accedamus, Boſonis conatus memorandus nobis eſt. Hunc Prouinciæ præſecerat Carolus Caluus Imperator, qui ſororem eius in matrimonio habebat. Sed deſuncto Ludouico Balbo, Caroli filio, excitatus ſtimulis vxoris ſuæ, quæ, cum imperatoris Ludouici II. filia eſſet, aegre priuatam fortem ferebat, regnum adſectauit. Namque turbatae admodum Francorum res erant, et Ludouico ac Carlomanno fratribus, ob repudiatam matrem, natalium controuerſia mouebatur. Rex appellatus Boſo an. 879. in concilio epiſcoporum, Mantalæ in territorio Vienneniſi: 1) ac Lugduni ab Aureliano archiepiſcopo vinctus eſt. 2) Ex ſubſcriptionibus epiſcoporum, qui concilio interſuerunt, coniecturam facere poſſumus, quam late nouum regnum patuerit. Subſcripſerunt autem Archi-Epiſcopi Vienneniſis, Lugdunenſis, Tarantaſiſis, Aquenſis, Arelatenſis et Veſontinus. Epiſcopi Valentinſis, Gratianopolitanus, Vaſionenſis, Dienſis, Matriennæ, Wapicenſis, Tolonenſis, Cabilonenſis, Lauſanneniſis, Agatheniſis, Matiſconeniſis, Viuarieniſis, Maſſilienſis, Arauſionenſis, Auenionenſis, Vetriceniſis et Regieniſis. Ex iuſdem actis facile reſelli poſſunt, qui Boſonem ab ipſo Carolo Caluo regem Prouinciæ creatum ſcripſere. 3)

1) Vid. acta conuentus Mantaleniſis apud DV CHESNE l. c. p. 480. et in Concil. Galliae T. III.

2) RHEGINO.

3) RHEGINO ad an. 877. quem MARIANVS SCOTVS, SIGEBERTVS GEMBLAC. et alii ſequuntur.

## §. IV.

Regnum  
Prouinciæ  
a Boſone con-  
ditum: Eius  
ſines.

## §. IV.

*Fata noui  
Regis.*

Sed non ex voto successit consilium Bosoni cum aegerrime omnes Carolingici principes factum ferrent. Instabant apud pontificem, ne auxilio illi esset, qui, ut amicitiam suam Carolingis probaret, in Bosonem, velut in tyrannum, inuehitur. <sup>1)</sup> Ludouicus et Carlomannus, cui in partitione regni patrii Burgundia obuenerat, Ludouici Germaniae, et Caroli Bauariae regis opibus adiuti, bello ipsum petebant. <sup>2)</sup> Recepta Matisconensis vrbs. Viennam ipsam an. 882. expugnauit Richardus, frater Bosonis, vxoremque eius et filiam Augustodunum abduxit. <sup>3)</sup> Ut vero compositum bellum fuerit, in tanta illorum temporum caligine non reperitur, nisi quod ex antiquo epitaphio Bosonis, quod Viennae in templo S. Mauricii conspicitur, <sup>4)</sup> Bosonem regni titulum, utcunq; ad mortem vsque sustinuisse colligas.

1) Vid. Iohannis VIII. epist. ad Carolum Crassum apud D<sup>r</sup> CHESNE T III. p. 904.

2) CONTIN. AIMOINI ad an. 880.

3) ANNAL. BERTIN. ad h. a.

4) Vid. GVICHENON. in hist. Bressiae P. I. c. 8.

## §. V.

*Ludouicus  
Bosonis fi-  
lius Rex eli-  
gitur.*

Mortuo Bosone, filium Ludouicum in gratiam recepit Carolus Crassus. <sup>1)</sup> Quo destituito a populis suis, Ludouicum pars procerum, suafu Stephani papae, et matris Hirmengardis, patrique Richardi auctoritate et gratia moti, Valentiae regem elegerunt. Sed nouum hoc regnum non eosdem, qui sub Bosone initio fuerant, fines habuit. <sup>2)</sup> Nam in tabulis electionis, Lugdunensis tantum, Arelatensis, Ebrodunensis,



donationis pro ecclesia Viennensi Hugonis Italiae regis, an. 928. Viennae confectum, <sup>9)</sup> itemque aliud Hugonis et Lotharii regum pro Ecclesia Viennensi 945. datum. <sup>10)</sup> Et an. 943. Conradus Burgundus placitum pro Cluniacensibus aduersus Carolum hunc Constantinum edidit. <sup>11)</sup> Ex quibus colligas, eum vna cum vrbe Vienna in potestate regum Burgundiae fuisse. Caeterum ditiones huius regni Prouinciae cum Iurano, tempore Rudolphi II. et Conradi coniunctas fuisse, extra dubium est, sed causae temporumque rationes non aequae cognitae sunt.

- 1) Anno 902. Vid. LEIBNITII chronol. ad panegyri. Berengar. in script. rerum Brunsvic. T. I. p. 256.
- 2) Ap. MABILLON. ANN. BENEDICT. T. III. p. 385.
- 3) Equidem in literis Adeleydis Rudolphi I. Iurani regis fororis, quibus Monasterium Romanense Abbati Cluniacensi tradit, occurrit Sigillum Rudolphi, filii Ludouici Imperatoris, apud MABILLON. l. c. T. III. p. 402. Sed ille haecenus obscurus est.
- 4) Apud FRODOARD. ad an. 951.
- 5) FRODOARD. ad an. 931.
- 6) Id. - - - ad an. 933.
- 7) Id. - - - ad hunc an.
- 8) Idem.
- 9) Vid. MABILLON. l. c. T. III. p. 395.
- 10) Vid. a BOSCO in Viennae sanctae et senatoriae antiquitatibus ad calcem Bibliothecae Floriacensis adiectis p. 59.
- 11) MABILLON. l. c. T. III. p. 468.

## §. VII.

*Regni Iuranum origo et fines.*

Iuranum illud seu Burgundiae Transiuranae, si ex Galliarum situ illius initia metiaris, regnum Rudolphus condidit, cum deiecto ab imperio Carolo Crasso, vndique regnum Carolingorum laceraretur. Diadema ad Agaunum Veragrorum oppidum sumsit, vbi

STATV, FINIBVS ET AD GERM. ACCESS. II

vbi celebre S. Mauricii fanum est. Angustis initio finibus ambitio illa continebatur, sed eos late postea extendit fortuna. Insignis hac de re est locus apud Rheginonem. <sup>1)</sup> Per id tempus Rudolphus filius Conradi, nepos Hugonis abbatis, de quo supra meminimus, prouinciam inter Iuram et Alpes Penninas occupat, et apud S. Mauritium accitis secum quibusdam primoribus, et nonnullis sacerdotibus, coronam sibi imposuit, regemque se appellari iussit. Post haec mittit legatos per vniuersum regnum Lotharii, et suasionibus pollicitationibusque episcoporum ac nobilium mentes in sui fauorem demulcet. Allicuit etiam nonnullos. Basileam enim et Solodurum, quae in Lotharii regno fuerant, Búrgundo paruísse certum est. Narrat deinde historicus, neque Arnulphum neque filium Zventiboldum, per omne regni tempus Rudolphum in ordinem redigere potuisse, cui magis credimus, quam vetustis rerum Anglicarum scriptoribus Ethelwerdo, et Asseri Me-neuensi, qui Rudolphum sub Arnolphi auspiciis regnasse tradunt.

1) Ad an. 888.

§. VIII.

Succesit patri an. 911. filius Rudolphus II. quem <sup>ut unitum</sup> viri docti haud pauci cum Rudolpho, Francorum <sup>fuerit Iura-</sup> rege, confundunt. Cum hoc transegisse aiunt, Hu- <sup>num et Pro-</sup> gonem Italiae regem et Prouinciae comitem, eique, <sup>uinciae re-</sup> ut ab Italia ipsum auerteret, quicquid citra Alpes in <sup>gnum? Al-</sup> Gallia possideret cessisse, solo comitatu Arelatensi <sup>phonsi Delbe-</sup> excepto, quem sibi retinuerit, qui que demum, Lo- <sup>re au-</sup> thario filio eius extincto, ad Conradum Rudolphi <sup>toritas</sup> <sup>in Iubium</sup> <sup>vocatur.</sup>

B 2

filium

filium peruenerit. Rem a vero forte non omnino alienam, sed veteribus monumentis nondum satis probatam, recentiores scriptores, dum pro suo quisque captu recenset, mire turbant. Neque nobilissimo scriptori, qui nuper historiam Prouinciae nobis dedit, discutere, has tenebras animus fuit. Alphonsus Delbene episcopus Albiensis, <sup>1)</sup> rei seriem non minori fiducia, quam si tabulas pacti inspexisset, narrat. Sed nouimus fidem illius rerum Burgundicarum peritis suspectam esse. <sup>2)</sup> Idem Rudolphus ab Henrico Aucupe partem Sueviae pro lancea Constantini M. ob insertum clauum de cruce seruatoris nostri sanctissime habita, accepisse dicitur. <sup>3)</sup>

1) De regno Burgundiae Transiuranae et Arelatis l. 1. p. 41. et l. II. p. 84. (Lugd. 1601. 4.)

2) Conf. BESSY de vera origine Hugonis Regis Italiae. Et GVICHENON. in praef. ad hist. Sabaud.

3) LVITPRANDVS l. IV. Histor. c. 12. p. 135. SIGEB. GEMBLAC. ad an. 929. et alii plures, quos vid. ap. CL. PFEFFINGERVM in not. ad VITRIAR. l. I. p. 245.

## §. IX.

Conradi regnum an inter filios iterum diuisum.

Regnauit inde ab an. 937. vsque ad an. 993. filius Conradus, cui vxor Mathildis comitatum Lugdunensem in dotem attulisse dicitur. Filios duos eum reliquisset, qui regnum ex procerum sententia ita diuiserint, vt Rudolphus Burgundiam, Boso Prouinciam acciperet, qui inde rex Arelatensis appellatus fit: eo circa an. 999. defuncto, fratrem Prouinciam reliquo regno iterum coniunxisse, ac Arelate solenni ritu unctum coronatumque esse, scribit Alfonso Delbene. <sup>1)</sup> Est quidem locus in antiquissimis Altabacbae tabulis, quas etiam Guichenonius laudat, qui huic

huic videtur narrationi fauere. Sed reliqua de hac familia monumenta, quae vidisse contigit, nihil de Bosone: cuius quidem nominis comitem Arelatensem in diplomate Conradi regis a. 963. confecto reperias. <sup>1)</sup>

1) l. c. p. 138.

2) MABILLON. Ann. Bened. T. IV. p. 564.

§. X.

Rudolphus, quem ignauum vulgo, monachi *Regnum Pro-*  
autem pium cognominant, cum liberos non haberet, *uinciae et*  
vt proceres parum ipsius reuerentes in officio con- *Burgundiae*  
tineret, cum Henrico S. imperatore, sororis suae *vnitur Ger-*  
filio, an. 1016. Argentorati pactum iniit, quo successio *maniae.*  
in regnum Burgundiae ipsi delata est. <sup>1)</sup> Repetitur  
pactum Moguntiae 1018. proceresque fidem dede-  
runt. <sup>2)</sup> Mortuo interea Henrico, Conradus II. qui  
Gisela Rudolphi sororis filiam in matrimonio ha-  
bebat, obtinuit, vt in eandem formulam foedus cum  
ipso Rudolphus pangeret: et post fata eius 1032. re-  
gnum sibi asseruit. Otto Campaniae comes, quod  
ex sorore Rudolphi natu maiore ortus esset, vi ob-  
tinere haereditatem, adiutus procerum aliquot studiis,  
allaborabat. Sed bello victus, et agnoscere regem  
Conradum coactus: cum postea iusiurandum viola-  
lisset, in praelio interfectus est. <sup>3)</sup> Conradus autem  
an. 1038. in comitiis Soloduri habitis, consentiente  
omni populo regnum Henrico filio tradidit, eique  
corona solenni ritu imposita est. <sup>4)</sup> Sunt qui iure san-  
guinis Conradi familiam ad successionem vocatam  
arbitrantur, iisque fauere videntur historicorum te-  
stimoniam, qui Rudolphum Henrico regnum testa-  
mento

miento reliquisse scripserunt. <sup>1)</sup> Sed quanquam non negauerim, potuisse aliquid apud Rudolphum necessitudinem illam, series tamen historiae satis docet, non familiae Augustae, sed regno quaesitam Burgundiam fuisse.

- 1) DITMARVS L. VII. p. 406. in LEIBNIT. Scriptor. rerum Brunsvic. conf. SIGEB. GEMBLAC. ad an. 1020. et VIPPO in vita Conradi Salici p. 431. qui rem ita exprimit, *cum post vitam suam Regem Burgundiae designauit.*
- 2) DITMAR. l. c. p. 420.
- 3) VIPPO ad an. 1033. p. 439. et p. 441.
- 4) VIPPO l. c.
- 5) OTTO FRISING. Chron. L. VI. c. 30. aliique.

## §. XI.

*Putecani sententia, qui, ab Ottone Campano, Reges Galliae ius in regnum Burgundiae habere contendit, expenditur.*

Interim ab Ottone Campaniae comite cum reges Galliae, per Iohannam Philippi Pulchri coniugem, gentis Campanae haeredem, descendant, Putecanus iisdem adhuc Ottonis ius integrum superesse, et titulum possessionis supremi domini in eas prouincias dare existimat. <sup>1)</sup> Sed, etiamsi tantisper demus ex sorore natu maiore prognatum fuisse Ottonem, cum de iure successionis in regno quaeritur, ex principis cuiusque populi, cui et de forma regni, et de modo ad illud perueniendi, pro suis rationibus statuere licet, res decidenda est. Itaque probare Putecanus debuisset, Burgundiae regnum, contra istius seculi morem, quo in omnibus Francorum regnis electionis quaedam vestigia apparent, tam striete haereditarium fuisse, vt regi et populo alium designare successorem, quam qui et ipse cognatione proximus esset, non licuerit. Et quod si hoc quoque demus, solenni bello victus

victus est Otto; neque probavit Puteanus, posterorum quemquam per tot secula ius suum vrisse: et tamen non modo cum imperatoribus Germanis, Burgundiae regibus, sed et cum principibus regni Burgundici, varia ipsis negotia intercesserunt, ex quibus pronum est conicere, eos statum regni probasse. Theobaldus, Ottonis filius, anno 1054. Imperatoris Henrici miles factus est. <sup>2)</sup> De Theobaldi Magni cum Burgundiae comite negotiis Du Chesne confendus est. <sup>3)</sup>

- 1) Traités touchant les droits des Rois tres-chretiens etc. C. III. p. 214.
- 2) HERMANNVS CONTRACT. ad hunc an. VIGNIERIVS existimat, eum inde sibi et posteris comitis palatini titulum retulisse, in Chron. Burg. p. 126.
- 3) Histoire de Bourgogne L. IV. c. 8. et 9. p. 578. seqq.

## §. XII.

Iam paucis, quis sub propriis regibus status regni fuerit, disquirendum erit. Reges ab historicis modo Galliae cisalpinæ, modo Lugdunensis, vocantur. Ipsi in diplomatibus modo reges simpliciter, modo reges Burgundiae se appellant. Du Chesne Rudolphum II. ex quo partem Sueviae ab Henrico Aucupe accepisset, Burgundiae, Alemaniae, et Prouinciae regem sese nominasse scribit, eosque titulos et successoribus eius tribuit: <sup>1)</sup> sed diplomata nulla affert. <sup>2)</sup> Vtrum Prouinciae, et Iurani regni, etiam postquam coniuncta fuerant, separata ratio et forma manserit, cum Beroldum comitem regni Arelatenis proregem sub rege Rudolpho reperiamus, <sup>3)</sup> et saepe vtriusque regni nomen expressum in antiquis diplomati-

*Quis regni  
status sub  
propriis Re-  
gibus fuerit?*

plomatibus legamus, non satis constat. Inde tamen repeti forte debet, quod et Arelas <sup>1)</sup> et Vienna <sup>2)</sup> regum sedes et regni metropoles habitae. Regnum non prorsus haereditario iure in potestate habuisse reges videntur, Burgundis ad exemplum Francorum aliorumque Germanorum, ita familiae regiae studentibus, vt quaedam et sibi partes in ordinanda successione manerent, quod Ludouici Prouinciae regis electio, et neglectus filius Carolus Constantinus inuunt. Nec absoluta regum potestas: vt Rudolphi III. exemplum satis probat. Reges diademate vfos fuisse, testantur diplomata, quae in sigillis capitula illorum praeferunt. <sup>3)</sup> Officiales eosdem, quos Germaniae et Galliae reges habuisse credibile est, et Odolrici comitis palatii mentio fit in diplomate Conradi. <sup>7)</sup> Cancellarius in allegato modo Rudolphi I. diplomate, nominatur <sup>8)</sup> *Theodoricus archiepiscopus.* (sc. Vefontinus.) In diplomate Hugonis et Lotharii supra allegato, Bosonis episcopi et archicancellarii nomen subscribitur. Sed is Boso archicancellarius fuit regni Italici. Habuerunt reges ius instituendi episcopos: quod et a Germaniae regibus postea exercitum fuit. Sed fisci non admodum lauta, saltem sub vltimo rege conditio, subleuandaque eius inopia episcoporum collationibus fuit. <sup>9)</sup>

1) l. c. p. 156. seq. 2) In diplomate 1001. confecto ap. MABIL-  
LON. T. IV. p. 140. subscribitur; regnante Conrado Alaman-  
norum siue Prouinciae rege.

3) Vid. GVICHENON. Hist. de la maison de Savoie l. II. c. 1.  
Ita etiam appellatur in antiquo diplomate, quod in nouo  
Thesauro anecdotorum P. P. MARTENE et DVRANDI  
T. I. p. 140. legitur. Nos accuratius expendendum eruditus  
hic

hic publicimus: *Carta Beroldi de Saxonia Proregis Arclaten-*  
*sis pro Faluericnsi monasterio in dioecesi Gebesmensi.* BE-  
 RALDVS DE SAXONIA PROREX ARELATENSIS PRO  
 Rege Potentissimo Radulfo, et ab augusta maiestate imperii,  
 creatus vicarius, natis et nascituris notum facimus, quod ad-  
 ueniens ego in pago Albanense in loco quo dicitur Tallaere,  
 inueni ecclesiam et monasterium, quod fundauit Dominus  
 meus Rex ad honorem B. Mariae et SS. Martini et Bene-  
 dicti, in regimen et vsum domini abbatis S. Martini Sapi-  
 niacensis, et omnium successorum eius, in laudibus Dei fa-  
 mulantium in dicto loco de Talueris, et de habitu et regula  
 SS. patris Benedicti sicut sunt, et in futuro erunt. Quod  
 monasterium cum omnibus bonis suis, feudis, iuribus, et per-  
 tinentiis, sicut maiores mei habuerunt, et maxime habet dux  
 noster imperator, in suo salvo guardagio et secura tutela,  
 accepimus et habemus eorum vestigiis inhaerentes. Au-  
 dientes praeterea affectionem, quam habuerunt praedeces-  
 sores nostri ad monasterium B. Martini de Sapiniaco, et ad  
 dictam ecclesiam de Talueris, volumus et declaramus, quod  
 successores nostri habeant et recipiant sicut habemus et reci-  
 pimus in salua tutela, custodia, manutentia, et securo guar-  
 dagio, praedictum locum de Talueris cum omnibus suis bo-  
 nis et appenditiis; item priorem monachum familiarem, et  
 eorum seruitores omnes sub poena iudicii omnipotentis Dei;  
 et qui illis benefecerit, sit benedictus; qui vero molestauerit,  
 maledictus sit in sempiternum, Amen. Amen. Actum in  
 eo loco de Talueris, laudante domino meo Imperatore et  
 genito meo carissimo Umberto anno MXX. sub sigillo meo  
 et signo manuali in mense Iulio. Umberto filius. Beroldus.

- 4) Caput regni Burgundionum, quod Arclatense dicitur, ciuitas  
 est Arclan. GERVASIVS TILBER. Or. Imp. n. 90. p. 990.  
 in LEIBNIT. Script. Rerum Brunsvic. Idem p. 915. Arcla-  
 tensem Archiepiscopum vocat caput regni.
- 5) Testimonia collegit CHORRIER in hist. delphinatus, quae  
 praemissa etiam sunt eiusd. antiquit. Viennae gallice scriptis.
- 6) Praeceptum Rudolphi I. quo 888. abbatiam Romanis dictam  
 donat, exhibet MABILLONIVS l. c. T. III. p. 690. mo-  
 netque p. 269. caput regis diademate redimitum in sigillo  
 exhiberi.

C

7) Vid.

- 7) Vid. DV CHESNE l. c. p. 162.  
 8) Berengarius notarius ad vicem Theodorici archiepiscopi et cancellarii recognouit.  
 9) DITM. Martisb. L. VII. ap. LEIBNIT. p. 407. de Rudolpho: *Episcopatus his dat, qui a Principibus hic eliguntur: ad suam vero utilitatem pauca tenens, ex impensis antistitum viuit.*

## §. XIII.

*An regnum  
sui iuris?  
Gallorum  
praetensiones  
deluuntur.*

Id maxime dubium videri alicui possit, vtrum liberum et sui omnino iuris regnum fuerit. Scriptores Gallici non pauci regis sui, supremo in istas prouincias iure vtentis, causam acturi, iniuria olim aulfas a regno contendunt, neque sublatum possessionis vitium quantiuis temporis decursu. Sed etiam maxime demus, quod quidem extra dubium positum minime videbitur, illorum temporum conditionem reputantibus, non modo Bosonis, sed Ludouici etiam, et Rudolphi causam vitio non caruisse, postea tamen Francorum reges statum Burgundici regni agnouerunt, atque ita vitium istud sustulerunt. Frodoardus nobis testis est. Rudolphum Francorum, et Rudolphum II. Iuranum, nec non Henricum Germaniae regem mutuae amicitiae foedera iniuisse. Ipsi Carolingici sanguinis reges, Burgundos matrimoniis genti suae innectere non dubitauerunt. Ita Mathildis, Ludouici transmarini filia, Lotharii regis soror, Conrado collocata fuit. Et postquam istae prouinciae ad Germaniam accesserant, innumerae sunt ipsorum Galliae regum, de iure imperatorum confessiones. Quare et inter ipsos

ipſos Gallos reperti ſunt, qui nihil ex hoc loco crui iuris pro regibus ſuis poſſe agnouerint. <sup>1)</sup>)

1) FRODOARDVS ad an. 935.

2) ST. AVBIN Histoire de la ville de Lyon Part. V. Sect. VII. P. 227. etc.

§. XIV.

Sed neque noſtris temere credamus, regnum hoc Germaniae obnoxium fuiſſe aſſerentibus. Iam primum argumentum Conringii, contendentis in ditio- ne regni Germanici provincias iſtas ſiras fuiſſe, ex iis refellitur, quibus euicimus in diuiſione terrarum Lotharii, eas in Caroli Calui ſortem, certe quoad maximam partem, veniſſe. Deinde oſtendi nequit armis Germanorum Burgundos in prouinciae formam redactos. Equidem Ludouicus Prouinciae rex, maieſtatem Arnulphi, ex iis quae ſupra de eo attulimus, videtur coluiſſe. Sed nihil inde iuris Germaniae regno in Prouinciam, multo minus in reliquam Burgundiam quaeritum. Idem Arnulphus Rudolpho regni Iurani conditori nequicquam bellum intulit. Henricus auceps vero cum filio eius Rudolpho II. amicitiam etiam pepigit. De Ottone Magno duo habemus veterum ſcriptorum teſtimonia, quae ſauere huic cauſae videntur. Alterum eſt Videchindi Monachi. <sup>1)</sup>) Rex, inquit, de die in diem proficiens, paterno regno nequaquam eſt contentus, ſed abiit in Burgundiam, regem cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Alterum Frodoardus praebet, <sup>2)</sup>) cum de Ottone agens addit, eum habuiſſe ſecum Conradum, filium Rudolphi Regis Iurenſis, quem iam dudum dolo captum, ſibi que addu-

An Regibus Germaniae ſubiectum fuerit?



*Eum retinebat.* Sed ambo loca obscura sunt, et aliam quoque explicationem, quam cupiunt, qui illis vtuntur, facile admittunt. Nobis saltem clariora argumenta desiderare, vbi de libertate aut seruitute populorum agitur, atque tantisper iura Germaniæ in Burgundos ex pacto illorum deriuare liceat.

1) L. II. Annal. in MEIBOM. Scriptor. R. G. T. I. p. 649.

2) ad an. 939.

## §. XV.

*Fines regni  
aduersus Gal-  
liam. Rhoda-  
nus quatenus  
limes? An  
Lugdunum  
eo pertinue-  
rit?*

Finium adhuc habenda ratio, saltem qui fuerunt, cum ad Germaniæ regnum Burgundia accederet. Rhodanus eam a Gallia diuisit, ex quo permixtus Arari fluit. Supra enim late ultra Rhodanum patuit. De Prouincia, Delphinatu, Sabaudia, Burgundia superiore, Bugiaco, Bressia, inter omnes conuenit. De agro Lugdunensi dubitatum est a viris doctis. Sed tota ecclesiae, vrbisque historia, et tot inprimis privilegia Friderici I. ecclesiae concessa, satis ostendunt, urbem omnino in Burgundiae regno fuisse. 1)

2) Conf. s. T. AVERN hist. de la ville de Lyon. P. V. Sect. 7. 8 9. et P. de MARCA de Primatibus §. 121.

## §. XVI.

*Quae pars  
Helvetiae?  
An Alsatia?*

In hodiernam Heluetiam qua excurrerit, magis dubium est. Satis tamen congrue historici Heluetiorum, inprimis FRANC. GVILLIMANNVS \*) Arolam, Vrsamque limites ponunt. Vbi et altissimus mons S. Gothardo sacer est, quem Burgundiae fines a Rhaetia ab antiquo separasse, ex diplomate Friderici I. ecclesiae Constantiensi concessio \*\*) probant. Dubio sane caret, praeter Lausannensem ac Sedunensem episcopatum, loca, quae Friburgensis, Solodurensis

durenfis et Basileenfis pagi hodie tenent, maioremque partem Bernenfis ad hoc regnum pertinuisse. Quae trans Arolam sita sunt, ducatus Alemannici fuerunt, quamuis forte principibus mutuo bello frequentè certantibus, non iidem semper fines manserint. Alsatiam quoque huic regno attribuerunt Puteanus, Conringius,<sup>3)</sup> aliique minoris nominis haud pauci, sed errore tam manifesto, vt refellere illum non opus sit.

1) L. III. Habsb. c. 7. p. 127.

2) Ap. IAC. MANLIUM in descr. episc. Constantiensis, apud PISTORIUM p. 624. et in CL. LVNIGII Spicil. eccles. cf. AEGID. TSCHVDIVM in Rhaet. Alpium descrpt. c. 16. p. 544.

3) De finibus imperii p. 611.

§. XVII.

Ducatum Burgundiae iuris publici Germaniae auctores plerique nouo etiam huic Burgundiae regno vindicant: contra quos nuper erudite disputauit CEL. GVNDLINGIVS.<sup>1)</sup> Nam cum Boso primum aueret regium nomen sumere, pars etiam Bosoni iterum adempta fuit. Huiusque Burgundiae duces inter pares coronae Gallicae locum semper tenuerunt.

*Ducatus Burgundiae non fuit pars huius regni.*

1) GVNDLINGIANA, P. VIII. n. 4. VI.

§. XVIII.

Cum vero apud rerum Germanicarum scriptores ducum Burgundiae, qui in obsequio imperii fuerint, mentio occurrit, non illi statim Gallicae Burgundiae duces intelligi debent. Sed duces Zeringiae quae ita appellantur, ex quo partem Burgundiae superioris

*Respondetur praecipuis argumentis dissentientium.*

perioris acceperant. <sup>1)</sup> Qui autem aduersus Rudolphum Habsburgicum duxisse exercitum, et ab eo victus, Basileae praesens veniam petiisse legitur, Burgundiae dux: <sup>2)</sup> is est Otto, comes Burgundiae palatinus, dux ab historicis non satis diligentibus, ob potentiam appellatus. Neque enim dux Burgundiae huic bello implicitus fuit. Sed diplomatum auctoritatem etiam opponunt, qui aliter hic sentiunt. Fridericus I. ducem Diuionensem, in literis ad comitem Trecentem, obligatum suum, hoc est, vasallum appellat. <sup>3)</sup> Verum qua ratione vasallus imperii tum fuerit, explicat diploma Henrici VI. <sup>4)</sup> Eo enim docemur, quod dux Diuionensis, comitatum Alboanae, et alia quaedam praedia in feudum ab imperio tenuerit, eorumque ratione contra quemcunque, solo rege Franciae excepto, praestare seruitia debuerit. Quando vero Maximilianus, et Carolus V. repetierunt Burgundiae ducatum a Galliae regibus, non iure regni Burgundici nixi sunt, sed ex haereditate Caroli audacis, Austriae genti eum vindicauerunt. <sup>5)</sup>

1) Vid. OTTO FRISING. de gestis Frid. I. L. II. c. 29.

2) Apud ALBERT. ARGENT. p. 104.

3) In epist. Friderici, quas FREHERVS T. I. Script. Rer. Germ. edidit n. XI. et inter epist. diuersas de rebus Franc. apud DV CHESNE T. IV. pag. 456.

4) PERRART memoires pour l'hist. de Bourgogne pag. 233. GOLLVT memoires de la R. P. Sequanoise l. VI. c. 34. P. 376. GOLD. T. III. Const. Imp. qui idem diploma sub diuersis titulis bis exhibuit p. 363. et 365.

5) Vid. traité du Chancelier de Bourgogne sur les pretentions et differents, qui sont entre les maisons de France, et de Bourgogne etc. n. 10. seq. in LEIBNIT. Cod. Iur. Gent. man. III. p. II.

S E C T I O . II  
 DE REGNO BVRGVNDIAE GER-  
 MANIAE VNITO, A TEMPORIBVS,  
 CONRADI II. VSQVE AD REGNVM  
 FRIDERICI III.

§. I.

**A**cquisitum Germanis Burgundiae regnum secuti *Burgundiae regnum in-*  
 Henricum III. imperatores constantè retinue- *nexum Ger-*  
 runt. Lotharius Saxo etiam, qui sanguine eos non *mania man-*  
 attingebat, in dirimenda lite de successione in comi- *st, usque ad*  
 tatum Burgundiae regem se praestitit. Sueuici im- *tempora Ru-*  
 peratores licet ab Agnete Henrici IV. filia descende- *dolphi Hab-*  
 rent, non tamen familiae, sed regni iure Burgundiae *burgici. Con-*  
 imperarunt. Neque enim superstitè Lothario ne- *ringius sup-*  
 gociis istius regni sese ingesserunt. Conradus III. *pletur.*  
 anno 1144. Raimundo archiepiscopo Arelatensi rega-  
 lia in vrbe, et dioecesi Arelatensi concessit. 1) Idem-  
 que in alio diplomate, Aquisgrani dato, Archiepi-  
 scopo Viennensi custodiam vrbis, et Popetum, pala-  
 tium regium tradidit. 2) Fridericus I. cum ducta  
 Beatrice, Rainaldi comitis Burgundiae filia, et haere-  
 de, amplissimae prouinciae possessionem nactus esset,  
 inde iam propior Burgundis, omnem regni aucto-  
 ritatem instaurauit. Archiepiscopi Lugdunensis,  
 Viennensis, Arelatensis, alique proceres inuestituram  
 ab eo petierunt, et supersunt adhuc concessa ab eo  
 episcopis Aptensi, Wapincensi, Tricastinensi, Aue-  
 nionensi, priuilegia. 3) Sed inter alia plura eius regni  
 monumenta; duo inprimis illustria sunt diplomata.

Alterum

MIHTON

Alterum ecclesiae Lugdunensi datum, quo archiepiscopus exarchon et summus princeps palatii Burgundiae constituitur: <sup>4)</sup> alterum ecclesiae Viennensi concessum, quo archiepiscopus sacri palatii archicancellarius appellatur. <sup>5)</sup> Quamquam vero Burgundiae comitatus ad Ottonem Friderici filium peruenisset, fratrem tamen Henricum et successores supremum retinuisse dominium, ex tot illorum diplomatis constat. Sub Ottone IV. mareschallus regni Arelatensis fuit Geruasius Tilberiensis, qui ei omnia sua imperialia dedicauit, ex quo et ipso opere, viguisse in illo regno auctoritatem Ottonis, apparet. <sup>6)</sup> Friderici II. regnum notius est, quam ut conquirere probandi argumenta opus sit. Wilhelmum quoque Hollandum, et Richardum exercuisse regium ius, Conringius probauit. Alphonfus a parte electorum rex Romanorum appellatus, an. 1268. Albertum de Turre seneschallum suum in regno Arelatensi et Viennensi creauit. <sup>7)</sup>

- 1) Diplom. exp. SAXII pontificio Arelatensi exhibet Cl. PFERFINGER ad VITRIAR. T. I. p. 249.
- 2) Ap. IOAN. a BOSCO l. c. p. 81.
- 3) Inter document. T. I. Galliae Christianae, editionis nouissimae.
- 4) Vid. PETRI de MARCA Dissert. de Primatibus §. 121.
- 5) Vid. IOANNES a BOSCO l. c. p. 87.
- 6) Vid. in primis Decif. 3. n. 92. ubi leguntur sequentia: *In palatio nostro, quod ex vestro munere, vestraque gratia ad nos rediit, per sententiam curiae Imperialis.*
- 7) Vid. Diplom. in memoires pour l'histoire de Dauphiné p. 125.

## §. II.

Sub Rudol-  
pho Habsbur-

In illa, quae Friderici II. imperium secuta est, rerum omnium perturbatione pene desueuissent Germanorum

norum auspiciis Burgundos facile credas. Sed Rudolphus Habsburgicus, cui et ipsi amplae in Burgundis opes erant, restituit imperii maiestatem. 1) Mortuo Raimundo Berengario Prouinciae comitatum, Carolo, Neapoleos regi dedit. Comitem Burgundiae in ordinem redegit, Humbertum Delphinum Alberti, de quo modo egimus, fratrem, feneschalium per regnum Arelatense creauit, 2) qui inde titulus familiae mansit; et pacem publicam, vti vocant, in Burgundia sanciuit. 3) Cum postea 1294. Otto comes palatinus Burgundiae pactum iniisset cum Philippo Pulchro, se filiam, comitatu dotatam, vni ex filiis ipsius ea conditione locaturum, vt, si ex iis nuptiis liberi nascerentur, in comitatu succederent: Siminus, comitatus in posterum coronae addiceretur; 4) Adolphus id aegerrime tulit, atque inter causas belli aduersus Philippum allegauit. 5) Rex se ad arbitros rem relaturum pontifici promisit. 6) Sed natae ex filia neptes Ottoni, interceperunt euentum pacti, comitatumque ne feudali quidem vinculo tum innexum Gallicae ditioni fuisse, contendit Gollutius, et ipsa historiae series satis probat. 7) Nam ab Henrico VII. Philippus Galliae regis filius inuestituram petiit. 8) Habemus quidem et tabulas procuratorum Philippi Iohannis Galliae regis filii, quibus testantur, se comitatum Burgundiae, ab imperatore Carolo IV. vice illius in feudum accepisse. 9) Sed nolumus ad hanc auctoritatem prouocare, cum postea idem princeps eandem inuestituram a patre petierit. 10)

*gico et Adol-  
pho Nassouio.*

1) Conf. Cl. HAHNII Diss. de iustis Burgundici noui, f. Arelatenfis

latensis regni limitibus, et derelictione eius Rudolpho I Habsburgico perperam adscripta.

2) Vid. Dipl. ap. DV GANGE voce SENESCHALLVS: diploma inuestiturae Roberto Duci Burgundiae de Delphinatu factae, quod reperitur ap. Cl. LVNIGIVM Reichs-Archiv Part. Spec. Continuat. I. p. 559. vt intelligendum sit, appareret ex GOLLVTI commentariis p. 450.

3) Non pigebit forte lectorem diploma ipsium, quod ex Archibus Delphinatus exhibet GVICHENOMIVS in historia Bressiae, (*Histoire de Bresse et de Bugey*) T. IV. p. 251. hic subiectum videre: Rodulphus diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus, vniuersis Imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Omnibus hominibus, qui recte sapiunt, repraesentamus; quod omne nobis studium est, vt subiecti Romano imperio beneuiuant, et viuente iustitia inter eos, gaudeant, commoditatibus pariter et honore, ea propter ad notitiam omnium fidelium Imperii volumus peruenire, quod conditionibus subiectorum nostrorum in regno Arelatensi multifarie intellectis, astantibus in praesentia Maiestatis nostrae episcopo Valentiniensi et Diensi, episcopo Laufanensi principibus nostris, et nobilibus viris, Humberto Dalphino Viennensi et Albonis comite, senescallo nostro in regno praedicto, et nobili matrona B. domina Lucigniaci, et Amedeo, comite Gebennensi, et Aymario de Pictauiio, et Humberto domino de Villars, fidelibus nostris et imperii praedilectis, ipsos vniri iussimus solemnem promissione in manibus serenitatis nostrae facta, & corporali praestito iuramento contra rebelles imperii, et mandatorum regalium contemptores, et contra personas alias cuiuscunque sexus, conditionis aut dignitatis existant, praesumentes dictos fideles nostros, et ipsorum bona offendere quoquomodo, dantes seric praesentis annotationis nostrae. . . . . superius qui nunc est, et aliae qui fuerint temporibus futuris . . . . . quantenus inter dictos fideles nostros vnionem nostram praedictam faciant firmiter obseruari, ipsos et eorum bona contra omnes, nullo ulterius expectato mandato, manu forti totiens, quotiens opus erit, manu teneant et defendant, in quorum omnium testimonium praesentes literas sigillo maiestatis nostrae iussimus communiri. Datum apud Muratum 4. Non. Maii 1291. Regni nostri anno 18.

4) Conf.

- 4) Conf. GOLLVT. l. c. p. 459. et EBERHARD. RATISB. ad h. a. vid. ipsum pactum comitis cum rege ap. PERRART. l. c. p. 574.
- 5) P. DANIEL Hist. Franc. T. II. p. 291. istum Ottonem Vassallum factum regni Galliae scribit, ac ad veterum tabularum fidem prouocat. Sed negat id GOLLVT l. c. l. VII. c. 41. et 42. In ipsiſ Adolphi literis, quibus bellum Gallo indicit, nulla specialis causa exprimitur.
- 6) Vid. DANIEL l. c.
- 7) CONRINGIVS l. c. p. 584. haec confudit, et Adolphum Provinciae comitatum a rege Galliae repetiisse tradit.
- 8) Vid. inf. S. III. §. 3.
- 9) GOLLVT. l. c. p. 531.
- 10) Idem. ibid.

## §. III.

Quae de Alberti et Henrici VII. renuntiatione in regnum Arelatense, Galli narrant, infra eo faciliore negotio refellemus, si interea retenti ab imperatoribus iuris noua quaedam indicia annotauerimus. Henricum VII. in expeditione Romana Robertus Delphinus, et frater Guido comitati sunt. 1) Caeterum quenquam Burgundicorum principum apud eum de concedendo sibi regni iure instituisse, ex epistola Clementis V. ad Philippum Pulcrum suspicari pronum est. 2) Ludouicus Bauarus cum Delphino Humberto 1335. egit de titulo, et omni iure regni Burgundici in ipsum transferendo, eoque in recuperandis amissis iuribus adiuuando. 3) Sed cum Delphinus conciliare pontificem Ludouico non posset, quae pacta erat huius beneficii merces, successu consilium caruit. Cum deinde Humbertus prouinciam suam in regiam domum Gallicam transcriberet, in instrumento 1343. confecto, 4) vtraque

pars

pars salvo iure imperii id fieri cauit. Et quanquam an. 1349. cum principatu cederet, nouis tabulis<sup>1)</sup> multa aliter ac prioribus istis definirerentur, haec tamen conditio integra mansisse intelligenda est. Caeterum tum ius Germaniae in regnum Burgundicum, nemo in dubium vocabat, sed non aeque in illa veterum rerum incuria, quid eo referendum sit patebat, vt ex allegatis supra Ludouici tabulis colligitur.

- 1) VECERIVS in vita Henrici VII.
- 2) Extat illa apud LEIBNITIVM l. c. P. II. p. 244.
- 3) Vid. Diplomata dans les memoires pour seruir à l'hist. de Dauphiné p. 279. et seq.
- 4) n. 28. Extat hoc instrumentum apud LEIBNIT. in Cod. Iur. Gent. Dipl. p. 158. et in comment. rerum Delphin. p. 458.
- 5) Vid. illas in rerum Delphinatensium commentariis.

## §. IV.

*sub Carolo IV.*

Non facile aliquis imperatorum plura supremi in hoc regnum iuris documenta ediderit, quam Carolus IV. quem alienati eius adeo frequens olim fuit accusare, vt apologia Schurzfleischius, opus crediderit; Ab eo ratam haberi, vt quaedam saltem annotemus, pontifex emtionem Auëniensis comitatus curauit. Inuestiuit Carolum qui postea inter reges Galliae V. fuit, de Delphinatu, si Alberto Argentinenfi fides: In aurea bulla Treuirensis archiepiscopum regni Arelatensis archicancellarium appellat: Arelatè coronatus est 1365: Vicariatum Sabaudiae instituit, et denique 1378. Carolum Delphinum, qui inter reges postea VI. appellatus fuit, vicarium suum, (per Delphinatum nescio, an per totum regnum Arelatense?) fecit, cuius erat iurisdictionem imperii

imperii nomine administrare, et inuestituras feudorum concedere, quo titulo Galli, ad opprimendas reliquias iurium imperialium in Delphinatu dextre vsi sunt. Eidem Delphino, et Philippo duci comitique Burgundiae, qui ratione comitatus imperio obnoxius erat, veniam aetatis dedit.

## §. V.

Nec quicquam melius defendit Caroli IV. memoriam, quam tot ab eius obitu edita, potentissimorum regni istius principum, sui erga imperium officii testimonia. An. 1380. cum Iohanna regina Ludouicum Andegauensem adoptasset, papa Clemens VI. ratione regni Neapolitani, vt papa, ratione comitatum Prouinciae et Forcalquerii, tanquam vicarius imperii, adoptionem ratam esse iussit. <sup>1)</sup> Vacare vero asserebat imperium, quoniam Wenceslaum Urbani partes sequentem, imperatorem non agnoscebat. Carolus VI. rex Galliae cum an. 1389. Viennam veniret, non aliter quam vicarius imperii admissus fuit: et aquilam imperialem in vexillis praetulit. <sup>2)</sup> Rupertus imperator in Italiam proficiscens, filio Ludouico vices suas etiam in regno Arelatensi obeundas detulit, quamuis superstes adhuc esset Carolus VI. Sigismundus quoque, et subsecuti imperatores, varios supremi imperii actus in Sabaudia, aliisque regni Arelatensis partibus exercuerunt. Adeoque 1416. ipsius ecclesiae Viennensis iura adhuc confirmauit Sigismundus. <sup>3)</sup> Sed ipsa regni compages sub Friderico III. cum Ludouicus XI. in Galliis regnaret, ac domus Burgundica ad inuidiosam ipsis imperatoribus po-

*Sub Wences-  
lao, Ruperto,  
et Sigismun-  
do. Deinde  
soluta sensim  
regni Bur-  
gundici com-  
pages.*

tentiam excreuisset, ita conuulsa est, vt omnem regni formam amitteret, et prouinciae aliae alio dilaberentur. Qua de re sectione sequenti agemus.

1) LEIBNIT. I. c. P. I. n. 105.

2) CHORRIER. Diff. III. p. 44.

3) IOH. A BOSCO I. c. p. 96

§. VI.

*Regnum Burgundiae sub Germanis mansit sui iuris. Aula Burgundica. Comites palatii. Archifeneschallus.*

Sed antea, vt nexum vtriusque regni melius intelligamus, nonnulla hic annotare visum est, ex quibus de statu et conditione Burgundiae sub Germanis, iudicium ferre, et aestimare momenta praetensionum imperii queamus. Mansit Burgundia sui iuris regnum. Habuit palatium suum, siue aulae rationes peculiares. Primus palatii princeps aliquandiu fuit archiepiscopus Lugdunensis. Comites palatii erant Viennae, et in Burgundia superiori. Seneschallos huius regniam supra produximus: quorum vltimus Humbertus archifeneschallum regni Viennae et Prouinciae sese appellauit. Seneschalli officium erat, non modo dapes mensae in solenni curia inferre, vt Alphonfus in allegato diplomate loquitur, sed et iura imperii tueri, secundum diploma Ludouici Bauari, et pacta inter ecclesiam Viennensem et Delphinum 1338. inita. <sup>1)</sup>

1) Quae vid. in comment. rerum Delphinat.

§. VII.

*De Archicancellario regni Burgundici.*

Sic et archicancellarium, qualem sub propriis regibus habuerat, retinuit. <sup>1)</sup> Sub Henrico III. habuit archicancellarium archiepiscopum Vefontinum Hugonem: cuius nomine signatum est diploma Wormatae a. 1056. ecclesiae S. Benedicti Diuionensi datum. <sup>2)</sup> Ex quo tamen non licet inferre etiam extra Bur-

Burgundiam scripta diplomata, ad archicancellarii istius regni curam pertinuisse. Henrici VI. enim diploma, quod statim allegabimus, Taurini 1196. datum, vice archiepiscopi Colonienfis, archicancellarii per Italiam signatur. Conradi priuilegium in gratiam Viennensis ecclesiae a. 1146. Aquisgrani confectum, nomen Harronis archiepiscopi Moguntini praefert. Neque scio, quis tum Arelatenfis archicancellarius fuerit. Fridericus I. autem perpetuum hoc officium archiepiscopi Viennensis 1157. esse iussit: nescio an forte permotus honore primatus, quo eam ecclesiam pontifex ornauerat. Priuilegium Friderici Henricus VI. an. 1196. <sup>3)</sup> et Fridericus II. an. 1214. <sup>4)</sup> confirmauerunt: quibus vltimis tabulis archiepiscopus Treuirensis inter testes subscripsit. Fidem exerciti ab illo officii tot diplomata, nomine eius signata faciunt: quae passim apud historicos occurrunt. Quo anno quidem ad Treuirensis Archiepiscopum ea dignitas translata fuerit, non satis constat. Boë mundo II. tamen, qui ab anno 1288. ad an. 1299. sedit, hunc titulum iam tribui obseruat BROWERVS. <sup>5)</sup> Custodiam vrbis Viennensis, vna cum Pupeto et Canalibus, palatiis regis, archiepiscopo commendatam fuisse certum est. Nollem ramen assentiri inde inferentibus, intuitu archicancellariatus id factum fuisse. Nam custodia illa triennio ante demandata fuit archiepiscopis, quam archicancellariū crearentur. <sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Conf. Sect. I. §. XII.

<sup>2)</sup> PERRARD. recueil de pieces seruans à l'histoire de Bourgogne ad an. 1053. p. 189. et 190.

- 3) à BOSCO l. c. p. 89.  
 4) Id. ibid. pag. 91.  
 5) Annal. Treuirens P. II. L. XVI. c. 156.  
 6) Conf. diplomata apud IOH. à BOSCO.

## §. VIII.

*Burgundiae  
 cum Germa-  
 nia qualis  
 nexus hoc  
 tempore fue-  
 rit? comitia  
 Burgundo-  
 rum: leges  
 et consuetu-  
 dines.*

Nexus regni Burgundiae cum Germanico in eo praecipue apparet, quod regem acciperent Burgundi, quemcunque Germani principes elegerint. Equidem Caroli IV. literas ad Delphinum habemus, quibus eum de electione sua certiore facit, petitque, ut *litteras sigillatas det*, quibus eum recognoscat. Extat etiam responsum archiepiscopi Viennensis, qui tum absentis Delphini vices gerebat, tergiuersantis, et ad reditum Delphini rem reiciens. <sup>1)</sup> Sed nouimus, quibus artibus Carolus IV. primum ut a quibusdam electoribus rex appellaretur, deinde ut ab aliis Principibus agnosceretur, quaesierit. Solebant tamen imperatores, corona Arelateni solenni ritu inaugurari. <sup>2)</sup> Caeterum Burgundi non pendebant a decretis Germanorum, sed rex in comitiis procerum de maiori momenti rebus consultabat: et illi quidem iam sub propriis suis regibus magnae libertati adfueri, valde eam per intestina Germanorum bella firmauerunt, auxeruntque. Comitiorum Burgundicorum frequens apud historicos mentio. Conuentus Soloduri an. 1047. ab Henrico III. celebrati, HERMANNVS CONTRACTVS meminit: <sup>3)</sup> aliusque an. 1052. habitus fuit. Nec tamen superstitiose obseruatum, ut intra fines Burgundiae locus comitiis, curiaeue regiae diceretur: Sic Rudolphum Habsburgicum eos Francofurtum ad Moenum conuocasse, annales Colmarienses

rienses testantur. 4) Suis etiam legibus et consuetudinibus vixerunt, quae Germanis in multis similes, nonnunquam tamen in diuersa tendunt. Dabo de successione notatu dignum OTTONIS FRISINGENSIS locum: 5) *Mos, inquit, in illa (Burgundia) qui pene in omnibus Galliae prouinciis seruatur, remansit, quod semper seniori fratri, eiusque liberis seu maribus, seu foeminis paternae haereditatis cedat auctoritas, caeteris ad illum tanquam ad dominum respicientibus.* Sed qui feudorum Burgundicorum indolem penitus scire uoluerit, adeat auctores qui data opera id argumentum tractauerunt. 6)

1) Memoires pour l'histoire de Dauphiné p. 187. seq.

2) Sic ante Carolum IV. Fridericus I. rex Arelate coronatus est, ut testatur subscriptio diplomatis ap. SAXIVM in pontif. arelat. p. 236. Datum in palatio Arelatensi 3. Kal. Augusti mensis, die dominico, quo coronatus est, in ecclesia Arelatensi imperator. Idem SAXIVS uxorem Friderici, et filium Philippum, coronam Arelatensem accepisse notat.

3) ad hunc an.

4) ad an. 1291. *Maritus filiae Rudolphi regis, mandauit, regi Rudolpho, ut quam statim veniret ad eum Lausannam, et ut indicet dominis curiam Burgundiae in Francofurt, quod factum est.*

5) L. II. de gestis Friderici c. 29.

6) SALVAING usage des fiefs, etc. add. GVICHENON in hist. Bressiae P. I. c. 12.

§. IX.

Quae iuris regii fuerint, videmus ex diplomate Conradi III. Arelatensi dato, qui ei *iustitias, monetas, iudaeos, salinarum stagna, et iurisdictionem post regem in vrbe Arelatensi concedit.* Et ex alio Friderici I. quo Raymundo comitatus Prouinciæ confertur. 1) *In super dat. ei in feudum ciuitatem Arelatensem, ita ut omnes*  
*Quae regalia itemque seruitia vasallorum?*  
 E  
 ciues

ciues sint ad eius fidelitatem, et seruitium, sicut esse deberent ad seruitium ipsius imperatoris, nam milites, quam populares, ita quod omnia regalia ipsius sunt, tam in motis, quam in portibus, et in ripaticis; pratis, pascuis, salinis, et omnibus aquis, aquarumque decursibus. Iura haec regalia imperatores in feudum dabant vassallis, nec tamen omnino gratis: sed extollit merito NEMVS ingentia commoda, quae ex hoc regno redierunt ad Germanos. Non habemus autem clariora indicia debitum a vassallis praestationum, quam in allegato diplomate Friderici. Ibi enim his conditionibus comiti Prouincia datur: Comes iurabit fidelitatem domino imperatori Friderico contra omnes homines, et hominum faciet ei, et seruitium faciet pro supradicto feudo. Pro regalibus autem, quae concedit ei tam in Arelate, quam in supradicto feudo, dabit singulis annis in purificatione S. Mariae, apud Arelatum, tam ipse, quam eius successores imperatori, eiusque successoribus, regibus, et imperatoribus XV. marchas auri boni, ad iustum pondus Coloniense: Et cum placuerit imperatori, intrare Prouinciam, seu ciuitatem Arelatensem, tam comes, quam comitatus, et ciuitas, et tota terra sint ad eius fidelitatem et seruitium, et mandatum. Comes etiam Prouinciae dabit domino imperatori XII. millia morabatunorum bonorum, et dominae imperatrici II. millia, et curiae mille, usque ad natiuitatem domini. Nec Rudolphus Habsburgicus comitatum Carolo Andegauensi, aliter quam sub consueto censu et seruitiis concessit, 2) conuenitque, ut pater et filius regi et imperio homagium ligium praestarent. 3) Sic Henricus VI. cum duce Burgundiae, vt ratione comitatus Albonae, contra quem-

quemcunque hostem sibi praesto esset, stipulatus est Henrico VII. in expeditione Romana. Delphinus adfuit. 4) Et Ludouicus Bauarus Philippo Valesio 1337. arma illaturus Humbertum ad seruitia in persona praestanda exciuit. 5)

- 1) Edidit id. ex archiuo regio. Barcinonensi PETR. de MARCA, de Marca Hisp. p. 133.
- 2) In LEIBNIT. Cod. Iuris gent. Diplom. Prodrum. n. XV.
- 3) Vid. CONRING. l. c. p. 58.
- 4) Vid. supra §. III.
- 5) Vid. literas in commentar. rerum Delphinat. p. 36.

§. X.

Erant vero praeter vasallos etiam alii, qui amplissima patrimonía possidebant, nullo feudi vinculo regi obnoxia, quae suo sermone *franc alleu* vocabant. Ciuitates praeterea regiae erant, qualis exempli causa fuit Vienna, et Vesontio. Sed haec aduocatum habuit comitem palatinum Burgundiae. 1) Quomodo autem iurisdictio regia exercita in illa fuerit, ex Caroli IV. diplomate apparet. 2) De Arelatensis vrbs itatu, Friderici II. priuilegium saxivs nobis seruaui. 3)

*Allodia in regno Burgundico, et liberac ciuitates regiae.*

- 1) De eius aduocatae orig. vid. GOLLVT. l. c. p. 464.
- 2) apud CONRING. l. c. p. 659.
- 3) l. c. p. 254.

§. XI.

luuat vltimo loco ecclesiae Burgundicae faciem hic delineare. In notitiis Galliarum, quas DVCHESNE edidit 1) VI. illi metropoles, seu prouinciae, vt stylo ecclesiastico vtamur, attribuantur: Viennensis, Aqueusis, Vesontina, Tarentasiensis, Ebredunensis, et Arelatensis. Quibus, si addas Lugdunensem, cuius archiepiscopus, ratione vrbs, partisq; agri Lugdunensis sub regno haud dubie fuit, licet

*De ecclesia Burgundica, primatu ecclesiae Viennensis, et aduocata ecclesiarum.*

alias inter episcopos Galliarum primatum teneret, habebis VII. prouincias, de quibus intelligendus forte THEODORVS DE NIEM, cum regnum Arelatense continuisse VII. prouincias scribit. <sup>2)</sup> Arelatensis et Viennensis ecclesia aliquandiu de iure metropoleos certarunt. Sed papa prouinciam inter vtrumque diuisit. <sup>3)</sup> Calixtus II. autem pontifex 1120. primatus auctoritatem ecclesiae Viennensis in VIII. prouincias, Viennensem, Bituricensem, Burdegalensem, Aufscitanam, Narbonensem, Aquensem, Ebredunensem et Tarantasiensem tribuit, <sup>4)</sup> simulque vices apostolicae sedis detulit, vt synodales conuentus indicare, et negotia ecclesiastica iuste, canonicque, definire posset. Quare archiepiscopus Viennensis, cum Narbonensem, qui primas erat Prouinciae Aquensis, seu Narbonensis II. ac Bituricensem, qui primatu in Aquitania potiebatur, subiectos sibi videret, PRIMATIS PRIMATVM titulum sibi indidit, et monetae, quam cudi curabat Viennae, inscriptionem adiecit: MAXIMA SEDES GALLIARVM, <sup>5)</sup> Neque tamen ex finibus ecclesiae Burgundicae ad fines regni concludi volumus: quantum inter politicam, et ecclesiasticam finium rationem discriminis sit, vel exemplo archiepiscopi Lugdunensis moniti, qui inter suffraganeos habuit Augustodunensem, Lingonensem, et Matisconensem, regni Gallici episcopos. Neque omnium ecclesiarum aduocatiam habuerunt reges. Ita comes palatinus Burgundiae fuit aduocatus omnium ecclesiarum in comitatu suo; praeter eas, quae in vrbe Vesontione erant, ac ad regium patrocinium pertinebant. <sup>6)</sup> Comites quoque Prouinciae, episcopos

scopos aliquot, qui initio a rege accipere consueverant regalia, sibi obnoxios fecerunt. 7)

- 1) T. I. script. rer. Franc. p. 19. seq.
- 2) In vit. Iohannis XXIII. apud. MEIBOM. script. rer. Germ. T. I. p. 46.
- 3) Vid. P. de MARCA epist. ad HADR. VALESIVM de tempore, quo primum in Gallis suscepta est Christi fides §. X. et seq. in dissert. de primatib. §. 71.
- 4) Vid. bullam apud IOH. a BOSCO l. c. p. 78.
- 5) Conf. MARCA de primatibus §. 123. seq.
- 6) GOLLVT l. c. 448.
- 7) vid. instrumenta in T. I. Galliae Christianae.

### SECTIO III.

## DE SOLVTA REGNI BVRGVNDIAE COMPAGE, PARTIBVS EIVS IN CIVITATEM GERMANICAM RECEPTIS, ET DE IMPERII IN EXEMTAS PROVINCIAS IVRE.

### §. I.

**H**actenus utcumque steterat regni Arelatensis compages: et subinde in uniuersum illud regnum indicia quaedam iuris sui dederant imperatores Germani. Sed obscura erat iuris illius notitia, ita ut iam sub Ludouico Bauaro dubitaretur, vtrum aliquando eiusmodi Burgundiae regnum fuisset? Sed sensim seculo XV. ipsa compages soluta est, et prouinciae huc atque illuc distractae. Quaedam in ciuitatem Germanicam receptae, quaedam penitus dimissae, et in libertatem assertae, pleraeque a Gallis hodie tenentur, a quibus nunc initium faciemus.

*Solutum regni Burgundici systema.*

§. II. *Urbis agerque Lugdunensis primum ex pacto ecclesiae Lugdunensiae 1307. cum Philippo Pulchro*

*Prouinciae, quas Galli*

*hodie tenent.  
Quo iure eas  
possideant?*

inito in ius regni Gallici, certis conditionibus venit.)  
Ut Delphinatus accesserit, iam supra dictum. Pro-  
vinciam Ludouico XI. Carolus Siciliae rex testamento  
reliquit. 2) Postea dux Sabaudiae in tabulis pacis  
Lugduni an. 1601. in Italia, Bressia et Bugiaco cedere  
pro marchionatu Saluciarum coactus fuit. Comi-  
tatum Burgundiae pace Neomagensi ab Hispanis ex-  
torserunt, et Ultraiectina serenissimus Prussiae rex  
ius suum in principatum Arausionensem in ipsos  
transtulit. 3) Itaque non iam de dominio vtili disputa-  
tatur, sed an ad fidem et obsequium teneantur, quod  
prios domini siue feudali titulo possiderent regio-  
nes, siue in patrimonio eas haberent, imperio praesti-  
terunt. Hoc enim imperatores subinde a Galliae regi-  
bus nomine Prouinciae et Delphinatus poposcerunt.

1) Vid. instrum. in LEIBN. cod. iur. gent. P. I. n. 20. p. 45.

2) Vid. Preuves et observations sur les memoires de COMMI-  
NES p. 215. Conf. DANIEL hist. de France T. II. p. 1394.

3) Art. X. actes et memoires de la Paix d'Utrecht T. III. p. 346.

*Gallorum as-  
sertiones, im-  
peratores re-  
gni Arelaten-  
sis iure, regi-  
bus suis cof-  
fisse.*

§. III.  
Constanter negant Galli: et olim quidem proto-  
cabant ad nescio quae pacta, quibus imperatores  
omne regni Arelatensis ius in reges Galliae transtu-  
lerint. VIGNIERVS 1) asserit, se vidisse tabulas, qui-  
bus Albertus Austriacus Philippo Pulcro, Vocolo-  
ribus in Lotharingia, regnum Arelatense dederit  
BODINVS 2) ab Henrico VII. (quem quidem is V.  
appellat) Philippum Valesium id emisse, consentien-  
tibus Germaniae ordinibus, et cum imperatoris, tum  
ordinum diploma superesse adhuc in regis archiuus  
asserit. LAVENTINVM quoque huc trahit CO NRIN-

GIVS,

GIUS, 3) quasi assereret, Carolum IV. Arelatense regnum Gallis dedisse, Sigismundum confirmasse, sequē tabulas Sigismundi Parisiis in bibliotheca S. Victoris vidisse. Sed ea non est sententia AVENTINI, cui de solo Delphinatu agere animus fuit, quem in tenebris sui temporis cum ipso Arelatensi regno confundit, 4) et alios praeterea errores, deceptus memoria committit.

1) VIGNIER bibliothéque historique T. III. p. 423.

2) De Rep. I. c. 9. n. 128. quem sequitur CASSANVS in disquisitionibus suis etc. (Recherches des droits du roi de France) et VIGNIER I. c. p. 449.

3) De finibus p. 574.

4) Verba AVENTINI sunt, L. IV. ann. ubi de Carolo IV. agit: Galliam Narbonensem, quam Viennae principatum, Delphinatum, regnum Arelatense vocamus, ab imperio abalienavit, lohanni sororis suae marito eiusque filio Carolo V. regi occidentalis Franciae tribuit. Sigismundus filius eius, qui post rerum potius est, approbavit. Diploma in bibliotheca Parisiense amplissima, quae in templo suburbano D. Victoris dedicata exarat, vidi anno abhinc decimo octavo, cum Lutetiae philosophiae operam darem.

§. IV.

Sed quis iam Vignierio, Bodino, et Cassiano, quamuis iuratis testibus in historia crederet? Conringius vel ex propria narratione falsi eos conuicit, adeo incaute scripserunt. Et licet speciosius adornassent fabulam, tota temporis secuti ratio, quo ius imperii integrum superfuisset ostendimus, eos refelleret. Habemus tabulas foederis inter Albertum imperatorem, et Philippum regem initi, 5) in quibus nulla prorsus regni Arelatensis mentio fit. Equidem et de finibus Germaniae Galliaeque ad Mosam discernendis tum actum fuisse, constans per eam regionem fama

*Refelluntur.*

fama probat. <sup>2)</sup> Credamus etiam BROWERI analibus Treuirensibus, agitata quaedam de regno Arelatensi consilia fuisse, parum grata Germaniae ordinibus: tum forte, cum de filia Alberti, alicui filiorum regis collocanda, eiusque dote consultaretur. Sed successu ea caruisse, quaecumque fuerint, patet. Henricum VII. metum iniecisse Gallis, ne forte iura sua principi cuidam non satis ipsis amico venderet, exlitteris Clementis V. papae ad regem Philippum Pulcrum an. 1309. datis discimus, quibus eum certiore[m] facit, se nullam alienationem istius regni probaturum, praeterquam si ecclesiae Romanae ab imperatore cederetur. <sup>3)</sup> Equidem et GVICHENONIUS concessi Gallis regni meminit, ac ad tabulas Francofurti confectas, et in tabulario regio asseruatas prouocat. <sup>4)</sup> Verum si omnino tabulae eiusmodi reperiuntur, intra consilium tota res steterit, oportet. Siquidem foedus 1310. inter Henricum et Galliae regem sancitum, ac ab Henrico in Italia 1311. confirmatum, cuius notitiam tabulae apud LEIBNITIVM nobis suppeditant, <sup>5)</sup> plane huic rei contrarium est. Nam inter alia conuenit, vt Henricus Philippum regis filium de comitatu Burgundiae inuestiret, atque is Henrico in expeditione Italica debita seruitia praestaret. Ecclesia etiam Arelatensis duo habet diplomata, ab eodem Imperatore 1313. sibi concessa. <sup>6)</sup>

1) In LEIBNITII codice iuris gent. P. I. n. 21. et seq.

2) Conf. information faite par ordre du conseil de France, touchant les limites du Royaume de France devers la Lorraine, et les bornes mises à l'entrevue de l'empereur Albert, et du roy Philippe le bel devers Vaucouleur. ibid. P. I. n. cc. p. 453.

3) Ibid.

3) Ibid. P. II. n. 44. p. 244.

4) In hist. Bressiae P. I. c. 9. p. 16.

5) l. c. P. I. n. 32. 33. 34. 35.

6) SAXIVS l. c. p. 304.

## §. V.

Si itaque nec antiquum coronae ius a prima regni Arelatenfis et Burgundici origine, nec deriuatum ex Campaniae comitum familia regibus Galliae superest, vt suo loco demonstraui-<sup>An praescri-  
ptionem ad-  
uersus impe-  
rium allega-  
re possint?</sup>mus; an saltem praescriptio-  
nis titulo tueri se poterunt? Equidem Puteanus operose disputauit, vt praescriptionem inter princi-  
pes nullam dari ostendat: sed deserant per nos hac in parte Gallici scriptores, solertissimum causae suae assertorem. Nihil est cur Germania praescriptio-  
nem metuat. Carolus V. in consultationibus de pace Madritensi, vt rex Galliae homagium tanquam comes Prouinciae praestaret, institit, <sup>1)</sup> et 1536. legato suo ad aulam Gallicam in mandatis dedit, vt iura imperii in Delphinatum vrgeret. <sup>2)</sup> Imperatores in capitulationibus promittunt, se operam daturos, vt bona ac iura imperii alienata, et partim ad externos deuoluta recuperent: quo ipso omnis praesumptio animi derelinquendi, quae fundamentum est praescrip-  
tionis, eliditur. Ideo etiam, si quae ab imperio ceduntur, maioris securitatis causa, huic legis dispositioni disertis verbis solet derogari, vt in tabulis pacis Monasteriensis factum videmus. <sup>3)</sup> Ipsisque imperii ordinibus rerum et iurium, quorum forte titulus, re accuratius pensitata, oppugnari posset, expresse in capitulationibus confirmatur possessio. <sup>4)</sup>

1) Vid. PUTEANVS l. c. p. 342.

2) CHIFLETIVS in viud. Hisp. pag. 123.

3) §. 79. 4) Conf. MAVRITIVS ad capitul. Leopoldi p. 818.

F

§. VI.

## §. VI.

*Comitatus  
Auenionensis  
et Venasci-  
nus Pontifici  
parent.*

Papa comitatum Auenionensem et Venascinum tenet, qua de re prolixè <sup>1)</sup> CONRINGIVS.

<sup>1)</sup> Add. description historique du comté Venaisin par le chevalier de Belleville: in comm. Triuoltiensibus.

## §. VII.

*Reliquae pro-  
uinciae in ci-  
uitatem Ger-  
manicam  
sunt receptae.  
Quaenam ad  
huc hodie in  
ea perstant?*

Reliqui in ciuitatem Germanicam recepti, iisdem comitiis iudiciisque vsi sunt, eadem regni onera tulerunt: pars cum Germania in circulos describeretur, Sueviae, aut superiori Rheni circulo attributa fuit. Neque tamen omnium eadem fuit conditio. Princeps Cabillonensis et episcopi Sedunensis, Geneuensis, Laufannensis ad annum vsque 1577. in matriculis Imperii reperiuntur. Laufannensis etiam recessibus imperii anno 1551. et 1594. subscripsit. Dux Sabaudiae, episcopus Basileensis, comes Monbeliardensis principali dignitate gaudens, haud dubie adhuc hodie imperii status. Balliua quoque Alfatiae et Burgundiae superest, et in matricula <sup>1)</sup> circuli Sueuici recensetur.

<sup>1)</sup> Vid. Matriculam apud ANDRO. in const. imper. T. I p. 602.

## §. VIII.

*Exempti pars  
Heluictorum,  
foederato-  
rumque.*

Quae Basileae, Soloduri, Friburgensium, ac Bernatum sub imperio Germanico formula fuerit, et per quos gradus Heluictorum libertas creuerit, donec ipsum imperium Germanicum pace Vestfalica <sup>1)</sup> eam agnosceret, Conringius executus est. <sup>2)</sup> Gaudent etiam libertate, in Heluictiorum foedere, comitatus Nouicastris, ciuitas Geneua, et Vallenses, Burgundici quondam regni pars, aequae ac episcopatus Laufannae, et comitatus Valdi, quem Bernates hodie tenent.

<sup>1)</sup> Art.

- 1) Art. VI. instr. pac. Osnabrug.  
 2) Conf. etiam *Acta und Handlung betreffend gemeiner Eydgemossenschaft, exemption etc.* Basfl. 1651. f.

§. IX.

Burgundiae comitatus peculiari modo innexus Germaniae fuit, cum omnes prouinciae ex haereditate Burgundica ad Austriacam familiam deuolutae, sub Maximiliano I. in vnam classem sub circuli Burgundici nomine redigerentur. Cuius formula demum a Carolo V. qui alias insuper prouincias adiecerat, in comitiis Augustanis 1548. rite fuit definita. Conuenit tum inter alia, vt omnes istae prouinciae retinerent priscam conditionem, siue feuda imperii fuissent, siue liberi principatus, essentque omnes sub custodia, conseruatione, et auxilio imperii. Locum illarum ratione in comitiis haberent posteri sui, et ad tributa ordinaria conferrent, quantum duo electores. Vbi vero communis denarius, vti vocabant, exigere-  
 retur, soluerent quantum pecuniae ex duorum Electorum Rhenensium, ab ordinibus nominatorum terris redactum fuerit, aut, quando aduersus Turcam res ageretur, quantum III. Electores contulerint. Ratione horum tributorum subessent iurisdictioni camerae, caeterum ab ea omnino exempti. Incolae illarum pacem publicam obseruare tenerentur, sed qui contra fecerit, coram magistratu suo tantum conueniretur. Seruata haec formula, et inter alia constat an. 1667. ita rationem temperatam, vt Rex Hispaniae ad expeditionem Romanam 120. equites, et 554. pedites miseret. 1) Sed comitatus, qui solus ex regni Burgundici prouinciis in eo circulo erat, pace Neomagensi Gallis ab rege Hispaniarum relictus est. 2)

Dura

*Circuli Burgundici cum imperio nex. Comitatus Burgundiae, ciuitatis et ecclesiae Vesontinae fata.*

Duravit etiam in obsequio imperii, quamdiu libertatem tuita est, vrbs Vesontio, nec plane a tributis immunis. 3) Sed an. 1654. aegerrime licet ferente ciuitatum imperialium collegio, regi Hispaniae, Burgundiae comiti, eoque nomine vrbis haectenus aduocato, ab imperatore et imperii ordinibus tradita est, vt Franckenthalium Germani ea mercede redimerent. 4) Archiepiscopus Vesontinus, qui locum in comitiis proximam Salisburgensi habebat, ex quo omnis prouincia in Gallorum potestatem peruenit, et ipse venerari Gallica auspicia coactus fuit. Aiunt tamen adhuc nomen eius in comitiis, cum ad suffragia dicenda excitantur legati, appellari. 5)

1) Vid. Matricul. ap. ANDLO in corp. constit. imper. T. I. p. 621.

2) Artic. XI. et XII. in theatro pacis T. II. p. 691. 692.

3) Vid. Matric. apud ANDLO loc. cit. p. 607. conf. *Gründliche Remonstratien, dass der Burgundische Crayss ein Reichs-Crayss und folglich von dem Römischen Reiche zu defendiren, auch was Franztösischer Seits disfalls vorgebracht worden, unter wichtige und ungegründete Vorwände zu rechnen sey*, ap. CL. LVNIG. in der Grundfeste der Europ. Potenzen Gerechtfame. N. 24. p. 180. seq.

4) Acta publica huc spectantia vid. ap. CL. LVNIGIVM *Reichs-Archiu* Part. Spec. contin. I. I. *Fortsetzung. Anhang*. p. 108. seq.

5) Vid. *Reichs-Staat* p. 468.



Leipzig, Diss., 1720 K-Z



f

TA → OL  
neu H 22 Stock

V 13





Gen. 5. num. 331

172079  
6

EXERCITATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
N E X V  
REGNI BVRGVNDICI

CVM  
IMP. ROMANO-GERMANICO

QVAM  
CONSENSV  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVITIONI  
SVBIICIENT

D. XXV. IVLII MDCC XX.

H. L. Q. C.

P R A E S E S

D. IO. IACOBVS MASCOV

ET RESPONDENS

CASPAR VOLCKMAR

HAMBVRGENSIS.

LIPSI AE

LITTERIS IMMANVELIS TITII.



*Handwritten mark*